

buſtius ſumitur argumentum: Si enim idonei illi Euangelij miniſtri, quando id poſſit certiùs de ordinariis vaſallis affirmari?

Suſpicio maleuolii affectus uerulſa.

43 Communis reſponſio de ſuſpicione ex talibus non bene erga res Hiſpanas affectis, iuxta ea, quæ habet Caſſianus in Caralogo gloriæ mundi Parte II. Conſiderat. 22. ex dictis depellitur: experientiâ ſiquidem multiplici comprobatur eos nihil aut dixiſſe, aut egiſſe aliquando, quod ſuſpicionem poſſet præfati affectus generare. Sunt ergo præſumendi idonei, cum nihil in contrarium oſtendatur. Cap. Dudum, de Præſumptionibus. Et quidem Rex noſter in exercitiis ſuis, quos hæc tempora fidentiffimis ducibus inſtructos exigunt, externos adhibet, quibus & arces & vrbes in Hiſpaniâ propugnandæ, & gubernandæ committuntur. Nihil ab iis timetur & meritò. Cur ergo à paupere Sacerdote, quem gloriæ Dei zelus, & animarum ſalutis, ſuis tenet miniſteriis intentum, timeatur. Ibi certè trepidatur, ubi non eſt timor, id eſt, timendi ratio, ſi res hæc, vt pareſt, rationabiliter tranſigatur.

Et reſponſio alia de de meliori per domeſticos agendi ratione.

Franciſcus Patricius.

44 Dicit vterius poteſt ſufficientes eſſe ex Hiſpaniâ Operarios, vt non ſit opus externum quæri ſubſidium, & rem hanc melius per ipſos, quàm per externos agitari. Annuo penitus, ſi res ita ſe habet: non tamen ſe habere, cum ad executionem tenditur, norunt qui pro huiusmodi cauſis in Europam deſtinantur. Pro quo & eleganter Franciſcus Patricius Lib. 3. de Regno, Titulo 13. ubi ita ſcribit: Vt enim diligens venator, ſi in patriâ ſua optimum canem non inuenit, Epiroticum aut Laconicum, magnâ impenſâ magnâque diligentia exquirat. Sic Rex, ſi regionis ſuæ idoneos indigenas non habebit, toto orbe terrarum perquiſitos, ſummo ſtudio, omnique largitione ac largitate conſtituet. Sic ille. Qui Mathematicas facultates doceant aduehantur extranci, quia Noſtri ad hæc ſtudia non ita aſſiciuntur, vt excellentes euadant magiſtri: Cur non ad rem, de quâ agimus, ſi opus iis fuerit, aduehantur? Bella certè in Hiſpaniâ, non ſolis geruntur Hiſpanis, ſed neceſſarium eſt externos aduocari: ergo & in ſpiritualibus expeditionibus aduocari externi poterunt, ſine villo nominis Hiſpani dedecore; immò & cum honore maximo, vt Regi tanto in vtrâque cauſâ, ſpirituali inquam & temporali, omnes fideles ſubditi conmiſtrent.

Aſſertio 2. de Vaſallis Beneficiis idem ſtatuum.

45 Dico ſecundò. Subditi Pontificis ob temporale in Italiâ dominium, non videtur conueniens vt in cauſâ, de quâ loquimur, arceantur. Hoc ex eo oſtenditur, quod in ſuperioribus oſtendimus, donatione inquam Pontificis Reges noſtros Indiarum dominos conſtitutos: quod & ipſi fatentur, vt vidimus num. 41. Indecorum ergo videtur, vt eius ſubditi in cauſâ adeò piâ, in quâ valdè viles eſſe poſſunt, penitus repellantur. Noui aliquos ex iis Operarios inſignes, & Hiſpanis noſtris gratiſimos, quibus vnam plures alios ſimiles haberemus.

Aſſertio 3. de Germanis, & a-

Dico tertio. Ex Germanis, & aliis Hiſpano nomini non inſenſis mitti conuenienter poſſunt, vnde non videntur conuenienter a-

moueri. Probatur ex dictis; hos namque idoneos & ratio & experientia demonſtrat, pro ſuſpicione autem ratio ſubeſt nulla. Ex iis etiam nouimus aliquos ſtrenuos & indefeſſos Indiæ vitæ cultores. Cur ergo tales bonus Paterfamilias ſub pactoſione donarij non conducatur, pondus diei & ætus aptiſſimos ſuſtinere?

lis Hiſpania non inſenſis idem ſtatuum.

Aſſertio 4. de inſenſis negans, ſed cum eorum laude.

46 Dico quartò. Ex nationibus quaſi naturaliter aduerſis non expedit Miniſtros conuerſionis admitti. Hoc non ex eo ita profero, quòd minus apti ſint. Quis enim Gallos ſatis aptos non cenſeat, qui in Nouâ-Franciâ res mirabiles incredibili patientiâ perpetrarunt? Sunt equidem ad ſpiritualia aptiſſimi miniſteria, ingenio, litteris, & experientiâ conſpicui. Neque ex eo quòd timeri aliquid ab ipſis queat. Quid enim ab imbelli, & ærum ſæcularium egregio deſpectore timeri poſſit? nihil certè Carolus V. à Borbonio timuit, quem exercitiis præfecit ſuis, ſicut neque à Condeo Principe Rex noſter arma noſtra tractante contra Gallicas irruptiones; & ab iis, de quibus agimus, timeatur? Non mittendos tamen aſſero, quia frequentibus erunt obnoxij calumniis, & rem, pro quâ animus maxime tranquilluſ & pacatus exigitur, non poterunt promouere. Communiter enim habebuntur ſuſpecti, vtpote rebus noſtris quaſi naturaliter aduerſantes, iuxta vulgarem reſponſionem de quâ num. 43. hic potius congruentem. Et licet prudentiores ſecus iudicabunt, vulgus tamen prudentiâ leges ignorat, vnde & quod ſentit, non veretur eſſari, veritatis peſſimus interpres, iuxta Senecam Lib. 2. de breuitate vitæ. Scimus etiam ob leuiſſimam, aut potiùs nullam huiusmodi occaſionem, graues obortas tempeſtates, quas auertere oportet, tranſmiſſione negatâ. Quod Principibus obleruandû, iuxta Aulianum vt Diui. in quâ ſic Imperator: Voluntarios labores, vt quietem alijs præparemus. Pro quo & alia habet Gloſſâ in Præmia Decretalium. Et in regionibus adeò remotis id peculiariùs accurandum; quamquam regula iſta ſuas poſſit exceptiones habere; vnde & ſcimus aliquos cum tranquillitate animi, nullis excitatis aliunde flatibus, in vineæ iſtius culturâ egregiè laboraſſe. Pro quibus hæc ſatis, in quibus non tamquam iudex, ſed tamquam teſtis elocutus: ſcio enim Regi noſtro graues & ſapientes Conſiliarios aſſiſtere, quibus de conuenientiâ circa prohibitionem aut indulgentiam, erit integrum iudicare. Sed quia illi circa valdè remota delibent, neque id, quod ipſa rerum faciès præſentibus exhibet, poteſt eſſe perſpectum, non ſum veritus faciem teſtimonij præferre; cum ſit eius, qui ipſos ferè quinquaginta annos in iſtarum rerum proximâ inſpectione tranſegit. Iuuat autem illud Orientalis Prouinciæ Societatis noſtræ Parum communi calculo roborare. Illi enim Anno 1575. conſultatione habitâ circa ea, quæ ad promouendum rei Chriſtianæ ſtatum conferre poterant, cum Viſitatore Alexandro Valignano conuenientes, id ſtatuerunt inter alia, quod P. Sacchini 4. Parte hiftoriæ Societatis Lib. 3. num. 230. his refert ver-

Ratio pro illa, excluſi alijs.

Seneca.

Aulianum. Vt Diui.

Prouincia India Orientalis Societatis præclarum exemplum, & illuſtris ſententia

bis:

bis: illud quoque viſum eſt in deliberationem vocandum, an alios præter Luſitanos expediret in Indiam ex Europa socios mitti: ubi ſummo omnium acclamatum conſenſu, non modo ex alijs quibusuis Prouincijs cum gratiarum actione excipiendos libentiſſimè, ſed etiam inuitandos, rogandosque: & ſupplicandum P. Generali, vt quando vna Prouincia Luſitana nequaquam ſibi ipſi, Braſiliæque, & Indiarum tot tamque amplis regionibus poſſet ſufficere, nullo modo Spiritui ſancto, Domino que meſſis Operarios in meſſem ſuam mittenti præcludi aditum ſineret. Sic ille.

Conquiſitoribus remuneratione debita, ſicut generaliter egregiè laborantibus. Caſſiodor.

Voluntas obſequendi ad gratificationem requiritur. Seneca.

Formula notabilis poſſeſſionis Indiarum.

Conquiſitoribus remuneratione ex iuſtitia debetur.

Ratio Aſſertionis aperta.

CAPVT V. An, & quomodo, debeat, & poſſit Rex Catholicus, Conquiſitorum, & Conquiſtatorum merita munerari.

47 Quid debeat genere aliquo debiti, indubitatum apparet: meritis enim remuneratione debet proportionabilis reſpondere. Quæ veritas luce eſt meridianâ perſpecturæ. Et in materiâ, de quâ agimus, ſpecialiter à Caſſiodoro his verbis exornata; Tribuenda eſt iuſtis laboribus compenſatio: quia exprobrata militia creditur, quæ remunerata tranſiit, Athletam populis palma designat eſſe victorem. Sudores bellicos Cuius corona reſtat. Expectant etiam equi (alij: Equos, ſed minus bene) præmia ſua: & tanta iuſtitia vis eſt, vt nec illis tardius detur laboris præmium, qui ſentire non poterant denegatum. Sic ille. lib. 2. 28. Debentur ergo ſaltem gratitudinis debito Conquiſitoribus præmia, qui in Catholici Regis obſequium incredibiliter laborarunt. Ad gratificationem ſanè voluntas obſequendi requiritur, quod lib. 6. de beneficijs cap. 10. à Senecâ eleganter dictum verbis illis: Non enim proſuiſſe ſe mihi oportet, vt tibi oblige: ſed ex deſtinato proſuiſſe. Pro quo & cap. 19. Conquiſtores autem ex deſtinato proſuiſſe, non poteſt in dubium reuocari. Regum Catholicorum auſpicij, ſumptibus, & mandatis proſecti, eius nomine poſſeſſionem terrarum, quaſcumque inueniſſent, formulâ ſolemni captabant, quam multi ſcriptorum aſſerunt, & extat Tomo 4. Reſcriptorum Indiarum pag. 226. & ſequenti. Et eſt ſanè notabilis, quia in illâ Reges noſtri, ex quorum præſcripto ordinata eſt, Pontificem Romanum vti mundi dominum recognoscunt, à quo proinde fieri ampliffima donatio potuit regionum Indiarum. Non poteſt ergo circa obligationem titulo gratitudinis dubium eſſe vllum, vnde ad alios quaſtio reuocatur, circa quos

48 Dico Primò Reges Catholici debent Conquiſtores (quo nomine etiam Conquiſtatores aut Conqueſtatores accipimus) iuxta quantitatem impenſi laboris ex iuſtitia præmiari. Sic P. Acoſta lib. 3. de procurandâ Indiarum ſalute cap. 11. Illuſt. Ioannes Zapata in Diſſertatione de iuſtitia diſtributiua parte 1. c. 4. n. 18. & parte 3. c. vlt. n. 1. D. Solorzanus to. 2. li. 2. c. 2. n. 59. & 60. & in Politicâ pag. 257. 303. 482. & 483. & alii. Ratio eſt clara. Nam iuſtitia obligationem fundat proprium jus in eo, cui debet reddi, & conſequenter proprium debitum in debitore reſpicit: At qui ita contingit in præſenti: ergo eſt propria iuſtitia obligatio. Maior eſt explorata, & Minor oſtenditur: nam

laborans in alterius commodum ex illius directione, & non vt meram gratiâ conferat, ſed vt laboris ſui proportionatam compenſationem accipiat, proprium jus fundat aduerſus illum: non eſt autem aliud niſi iuſtitia: ergo ex iuſtitia obligat debitorem. Irrefragabilis eſt diſcurſus, & applicandus cauſæ præſenti juxta dicta.

49 Dico ſecundò. Obligatio dicta eſt iuſtitia commutatiua. Sic Illuſtriſſimus Zapata ſuprà, quod & Dom. Solorzanus videtur approbare, & hoc planè conuincit ratio adducta pro Aſſertione præcedenti. Et præterea ex eo oſtenditur, quia iuſtitia commutatiua talis dicitur propterea quòd circa commutationem verſatur, dum vnum pro alio datur, & ita commutatur: At qui Conquiſtores operas dederunt, & labores eximios in Regum Catholicorum quaſtuofiffimum obſequium: ergo illis debetur compenſatio æquivalens, iuſtitia commutatiua titulo. Audiendus Seneca lib. 3. de beneficijs, ita ſcribens: Equiſſima vox eſt, & jus gentium præferens: Redde quod debes: Hæc turpiſſima eſt in Beneficio: Redde. Sic ille.

Obligatio eſt iuſtitia commutatiua.

Seneca Libro 3. de beneficijs cap. 14.

An diſtributiua interueniat, dubia quaſtio, & quomodo explicanda eſt illa.

Propria vtriuſque proportio.

50 Dico tertio. An cum iuſtitia commutatiua etiam diſtributiua intercedat, communis eſt quaſtio. Cum enim communia bona diſtribuit gubernator, ſi pro ratione laboris impenſi reddat, pacto aut expreſſo aut tacito intercedente, ſolum exerceri commutatiua, etiamſi proportionem geometricam attendat, vt inter eos, qui præmiantur, ſit reſpectus perſonæ ad perſonam, & non tantum rei ad rem, multorum ſententia eſt: cum tamen oppoſitum alij ſentiant, ex quibus videri poteſt P. Molina 1. p. q. 21. s. Hinc jam facile, & de quo nos alibi. Eſtque illud præſenti cauſæ parum neceſſarium: in quo tamen citati pro Aſſertione præcedenti priori ſententiæ videntur adhærere, & poteſt facile defendi, cum tamen contrarium probabilius videatur: quia proportio illa perſonæ ad perſonam eſt quid conſequenter obligatio ex ſolâ illâ reſultans, & ipſi propria. Et quando vnicuique ſecundum proportionem Arithmeticam redditur quod ſuum eſt, valdè per accidens ſe habet, quòd reſpectu alterius etiam interueniat obligatio, vnde eâ ſecluſâ ſimiliter redderetur. Id quod etiam ad commutatiua ſpectat, cui proprium eſt, cum non poteſt reddi æquale, id quod eſt poſſibile reddere, ſiue vnus tantum ſit creditor, ſiue ſi plures. Quod tamen in diſtributiua non accidit, cuius eſt proprius reſpectus ille in debiti redditione præciſus, & ſolum ea, quæ ſunt communia, diuidentis: hic enim iuſtitiam aliquam conſtituit: ſed non aliam: ergo illam; vnde immeritò confunduntur.

51 Dico quartò. Reges Catholici reddentes Conquiſitoribus pactam mercedem laborum, non videntur ad aliquid vterius obligati ex rigore iuſtitia, etiamſi poſtea minus proportionata videatur. Sic Dom. Solorzanus Tomo 2. lib. 2. Cap. 30. n. 20. ubi pro eo Hiſpanas leges adducit. Ratio eſt, quia generaliter loquendo vltra pactam mercedem nihil debetur vterius: dicere enim poteſt ita ſoluens Euangelicum illud Matt. 20. v. 13. & 14. Amice, non facio tibi iniuriam: Nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt.

Pacta mercede ſoluta non eſt vterius ex iuſtitia obligatio.

Matt. 20. v. 13. & 14.

B



est, & vade &c. Et tamen isti minus proportio-  
 natam sibi redditam mercedem querebantur, vt  
 patet ex v. 11. & 12. immeritò tamen; in quo  
 fundatur Assertionis ratio. Licet enim pacta  
 merces minus proportionata appareat iis, ad  
 quos illius pertinet interesse, illa semper solet  
 esse saluum querela, & nullus suis aut suorum  
 meritis æqualem redditam mercedem arbitratur.  
 Quod tamen secus accidere, debet prudenter æ-  
 stimari; quandoquidem Reges nostri non solum  
 iustissimi, sed liberalissimi esse solent: & quando  
 pactio inita est, negotium istud est diligenter ex-  
 pensum, vt nullum iniustitiæ periculum timeri  
 possit, etiam si nihil ulterius redderetur. Pro quo  
 sunt iuris regula: in 6. 27. & 85. *Scienti, & con-*  
*sentienti non fit iniuria.* Et, *Contractus ex conuen-*  
*tione legem accipere dignoscuntur.* Præterquam quòd  
 Princeps potest rebus pretium competens assi-  
 gnare, aut lege, aut arbitrio, vt est recepta do-  
 ctrina: ergo laboribus Conquistorum potue-  
 runt Reges Catholici assignare illud, quod reipsa  
 contulerunt; & ita est iustum reputandum.

*Est minus  
 postea pro-  
 portionata  
 videtur.*

*Cap. Sci-  
 ti, & Cap.  
 Contra-  
 ctus.*

*Idem osten-  
 ditur, etiã  
 si merces  
 pacta non  
 sit.*

*Ex circũ-  
 stantijs cre-  
 sci stipen-  
 dium, &  
 quales pro  
 Conquisi-  
 toribus.*

*Merces nõ  
 ex re parã,  
 sed ex labo-  
 ris qualita-  
 te pensan-  
 da.*

52 Dico quinto, etiam si Conquistores  
 sub pacta mercede non laborauerint, sed speran-  
 tes se à Regibus Catholicis iuste remunerandos;  
 si id detur quod iustum visum est, non tenentur  
 successores ex iustitiæ rigore quidquam  
 amplius impartiri. Constat ex dictis pro Asser-  
 tione præcedenti: quod enim à Christianissi-  
 mis Regibus est proportionabile iudicatum, tale  
 debet ab aliis reputari. Si enim iustum stipen-  
 dium militis illud est, quod Christiani Reges, ty-  
 rannico se minime more gerentes, eidem assi-  
 gnant; cur non etiam reputari iustum debet il-  
 lud, quod Conquistoribus, qui nihil aliud, quàm  
 speciale militiae genus exercent, à Regibus est  
 Catholicis constitutum?

53 Vbi illud ex P. Lessio lib. 2. cap. 24. n. 24.  
 opportunè cadit; ait enim iustum stipendium  
 spectatis omnibus circumstantiis attendendum.  
 Est enim functio aliqua multos labores coniun-  
 ctos habeat: tamen si honores, & emolumenta  
 alia ei adnexa sint, stipendium poterit esse  
 paruum: nam honor, & adiuncta commoda,  
 sunt veluti pars stipendii. Sic ille in rem nostram:  
 Nam Conquistores eximie honorati sunt à Ca-  
 tholicis Regibus, nobilitatis, & Equestris gradus  
 titulis: habuerunt etiam emolumenta maxima,  
 dum auro atque argento plenas prouincias sub-  
 egerunt, aliisque pretiosis fructibus locupletes.  
 Quòd si minus prouidi hac in parte fuere, sibi  
 impudent, & non Regiæ defectui largitaris.

54 Neque ex eo quòd ingentis pretii sint,  
 quæ Catholicis Regibus conquista sunt, merces  
 venit computanda, sed iuxta laboris qualitatem  
 & proportionem. Pro quo elegans est Senecæ  
 doctrina lib. 6. de beneficijs cap. 14. in quo ita scribit;  
 Illos ex toto præteribo, quorum mercenarium beneficium  
 est, quod qui dat, non computat cui, sed quanti datu-  
 rus sit, quod vndique in se conuersum est. Vendit mihi  
 aliquis frumentum; Vivere non possum, nisi emerò;  
 sed non debeo vitam, quia emi. Nec quàm necessa-  
 rium fuerit estimo, sine quo victurus non fui; sed  
 quàm gratuitum, quod non habuissem, nisi emissem,  
 in quo inuehendo mercator non cogitavit quantum  
 auxilij allaturus esset mihi, sed quantum haberi sibi  
 quod emi non debeo. Hac ille. Iuxta quæ, quòd

Conquistores multa & magna Catholicis Regi-  
 bus suo labore contulerint, non debet ita atten-  
 di, vt laboris pretium debeat iuxta illius magni-  
 tudinem æstimari, sed iuxta illius quantitatem,  
 quandoquidem rem volunt iuxta iustitiæ rigo-  
 rem agi. Quemadmodum militi pugnanti in Re-  
 giã classe contra Anglos, conantes thesauros In-  
 dicos in Hispaniam transmissos diripere, & bo-  
 no quidem euentu, non debetur ingens aliquod  
 stipendium thesauris dictis proportionatum, sed  
 idem quod pugnantis similiter pro qualibet alia  
 causa. Quòd si Conquistores dicant se eum, cui  
 labores impendebant suos, etiam attendisse, &  
 non id tantum quod ab eo dandum; inde iustitiæ  
 titulus nequit allegari; quia solius est gratitudi-  
 nis, vt ex verbis Senecæ compertissimum habe-  
 tur. Si illud etiam addamus, generale esse &  
 connaturale vasillis Regiis, & maxime Hispanis,  
 Regum suorum gloriam & amplificationem re-  
 gnorum, consequenterque eorundem obse-  
 quium, affectare.

*Quod Con-  
 quistori-  
 bus appli-  
 catur.*

*Obiectio  
 quadam  
 depulsa.*

*Quod ge-  
 nus obliga-  
 tionis erga  
 illos.*

*Cassiodor.*

55 Dico sexto, etsi ex rigore iustitiæ non  
 teneantur Reges nostri Conquistores amplius  
 munerari; ex iustitiã tamen late sumptã, prout  
 gratitudinem complectitur, aut prouidentialem  
 seu architectonicam, & ex decentiã maximã, de-  
 bent illos, si ad miserandam fortunam deuoluti  
 fuerint, eiusdem remedio subleuare. Hoc lucu-  
 lenter ostendit Dom. Solorzanus citato cap. 30. n.  
 21. & seq. & cap. 10. n. 78. & 79. & in Politicã  
 lib. 3. cap. 11. in fine, & 6. 30. & quidem vt ex Cas-  
 siodoro vidimus nu. 47. iustitiã remuneratiã ad  
 ipsos se equos ostendit, & tantã iustitiã vis est, vt  
 nec illis tardius detur laboris pretium, qui sentire non  
 poterant denegatum. Quomodo ergo illa non se  
 ad benemeritos cum insigni prærogatiuã & ex-  
 cellentiã meritorum, extendat, qui denegatum  
 præmium sentire possunt, & sensum lachrymis &  
 gemitibus declarare?

56 At dices Conquistorum iam nullum  
 superesse, ad quem possit remuneratio perueni-  
 re. Verum etsi illi non sint, sunt tamen nati na-  
 torum, & qui nascuntur ab illis: in quibus oportet  
 parentum merita compensari. Beneficium  
 equidem collatum filio ad patrem spectat, quod  
 iste pluris æstimare solet, quàm si ad propriam  
 illius personam deueniret: pro quo Seneca lib.  
 5. de beneficijs cap. 19. vbi sic loquentem inducit:  
 Eriam nũm, cum filium tuum seruauis, ad genua præ-  
 cumbis, dñs vota soluis, tamquam ipse seruatus. Ille  
 voces exequit tibi: nihil interest mea, an me seruaueris:  
 duos seruasti; immò me magis. Hæc ille: iuxta quæ  
 parentum remuneratio est, quæ erga filios exer-  
 cetur; qui licet patrem amiserint, naturæ prin-  
 cipium, in alterius patris curam venire debent,  
 qui eorum amolitur incommoda, & opportu-  
 nis subuentionibus tueatur. Et talis profectò  
 Christianus Princeps, & Christianorum maxi-  
 mus, de quo agimus: cui verius, quod Theodorici  
 nomine à Cassiodoro dictum, venit adaptan-  
 dum. Sic enim lib. 4. 42. scribit ille: Bene prin-  
 cipalis clementia suscipit, quos pietas paterna desinitit:  
 quia sub parente publico, genitoris minime sentiri debet  
 amissio. Ad nos siquidem recurrit infantia desinita a,  
 quibus vniuersorum hominum proficiunt incrementa.  
 Sic ille, qui de senatorum filiis loquebatur. Cu-  
 ius adnotanda ratio, quòd scilicet vniuersorum  
 hominum

*In posteris  
 remunera-  
 tio conti-  
 nuanda.*

*Seneca.*

*In quibus  
 parentes re-  
 muneratio-  
 ne estiman-  
 re plus so-  
 lii.*

*Princeps  
 parentis lo-  
 co succedit.*

hominum incrementa, ad profectum Principum  
 spectant. Id quod in causã præsentis videtur præ-  
 cipuum locum habere, quando de remuneratio-  
 ne eorum agimus, quorum laboribus incremen-  
 ta Regibus nostris ingentia profecerunt, dum  
 noui mundi facti domini, & immensis locuple-  
 tati diuitiis, ac diuersarum gentium subiectiõne  
 amplissimè decorati. Neque de his opus est ad-  
 didisse complura: qui enim benemeritos se  
 sciunt, suam agent causã; & Regiã pietas sem-  
 per est ad talium voces exprompta, si è proximo  
 audiantur. Quod tamen non licet omnibus vn-  
 de oportet vt Indiarum Gubernatoribus cura  
 ista serio & sapius inculcetur. Ex dictis autem  
 constat non esse audiendum Fr. Ioannem de  
 Silua in Animaduersionibus ad Regem nostrum  
 Philippum Tertium pro gubernatione Indiarum  
 Fol. 32. pag. 1. vbi contendit neque Conquistori-  
 bus, neque eorum successoribus remuneratio-  
 nem deberi, ob crudelitatem ipsorum, & Con-  
 quistã qualitatem. De labore enim vtiliter im-  
 penso constat, & quod inhumanum in conquista  
 asseritur, nulli in speciali, de cuius meritis aliàs  
 constat, poterit imputari.

*Fr. Ioan.  
 Silua be-  
 nemeritos  
 in se suis ex-  
 ploditur.*

CAPVT VI.

An præmia, quæ videntur Conquistori-  
 rum propria, tutã conscientiã possint  
 aliis, in Hispania præsertim degenti-  
 bus, applicari.

*Conquisi-  
 torum pro-  
 pria præ-  
 mia sunt  
 Commen-  
 da.*

57 Conquistorum quidem propria præ-  
 mia videntur Indorum Commende,  
 de quibus latissimè, & eruditione  
 omnigenã disserit Dom. Solorzanus Tomo 2. lib.  
 2. & in Politicã lib. 3. Illæ enim Conquistoribus  
 concessæ, in quibusdam Indorum populis feu-  
 dali ritu, cum quibusdam scilicet obsequiis perso-  
 nalis oneribus, vocante Rege, aut qui eius nomi-  
 ne præest; vt sic ab Indis tributa accipiant, quæ  
 Regi pendunt, ii, qui non sunt Commendatariis  
 assignati. Non sunt autem perpetuæ; sed ad  
 duas, tres vel ad summum quatuor vitas; pro  
 quo rationes non leues subesse, dubitari nequit;  
 cum res hæc atentissimã consideratione fuerit  
 ventilata. Vitarum ergo prædictarum aduenien-  
 te fine, Commendæ vacant, & Regiã Coronæ  
 incorporantur. Solent autem Reges nostri, quæ  
 est illorum magnificentia, Commendas huius-  
 modi, cum vacant, conferre aliis, præmissã gratiã  
 successionis in generali devacaturis, quæ dum in  
 speciali vacant, suum sortiuntur effectum, & mul-  
 toties in regionibus Indiarum existentibus con-  
 feruntur, ac non raro Magnatibus & Dynastis  
 Hispaniæ, qui administratores substituunt, vt  
 honoris & oneris habeant societatem. De his  
 ergo difficultas ista procedit: circa quam

*Assertio 1.  
 Commen-  
 das posse à  
 Rege pro li-  
 bito conce-  
 di.*

58 Dico primo, Reges nostri absque reatu  
 mortalis culpæ possunt Commendas dictas con-  
 ferre quibilibet, seruatis aliàs legibus iustæ do-  
 nationis, quæ sunt omni donationi communes.  
 Hoc probò: nam Commendæ istæ vacantes  
 possunt Coronæ incorporari: ergo & de earum  
 redditibus liberales fieri donationes, quæ multo-  
 ties Regiam decent dignitatem: vel antidotales,

vt sapius accidit, ob respectum aliquem gratitudi-  
 nis, vel pietatis causã: quòd etiam non raro con-  
 stat euenire.

59 Dico secundo. Commendarum traditio  
 ex accidenti potest esse damnabilis: quando  
 scilicet pingues hi redditus diuitibus dominis tri-  
 buuntur, sicut hisce temporibus, aut similibus  
 aliis bello infectis, propter quæ opus est. vasallos  
 gabellis & impositionibus aggrauare, ab ipsis  
 etiam Ecclesiis contributiones eidem molestissi-  
 mas exigendo. Vt enim docent Aponte, Valen-  
 zuela, Rouius, Matutã, Papiã, Amaya, & Rastel-  
 lua, quos adducit & sequitur Diana Parte 6. tract.  
 6. Resolut. 4. quando regnum est valdè tribuitis  
 oneratum, debet Rex noua non exigere donati-  
 ua, nec tributa imponere, sed suspendere ac mi-  
 nuere gratias & pensiones personis particularibus  
 concessas. Videatur citatus Auctor rem neruose  
 expendens, & P. Fagundes in Præcepta Decalogi  
 Tomo 1. lib. 4. cap. 15. vbi in huiusmodi neces-  
 sitatibus donata à Regibus affirmat posse &  
 debere repeti. Ergo donare, dum illæ instant,  
 & ita largiter, res videtur contraria penitus æ-  
 quitati.

*Assertio 2.  
 non licere,  
 quado gra-  
 ues regni  
 necessitates  
 occurrunt.*

*Diana.*

*P. Fagun-  
 dez.*

60 Dico tertio. Ex eo quòd Commendas  
 Reges nostri in Hispaniã degentibus conferant,  
 non videntur lethaliter peccare. Sequitur ex di-  
 ctis, & quia si aliquid obstaret, id maxime esset,  
 non posse scilicet Commendatarios oneribus sa-  
 tisfacere Commendarum. Quod certè non vrget:  
 nam Reges nostri Commendas tribuentes, pos-  
 sunt earum onera vt libuerit tollere, aut saltem  
 minorare, cum sint earum absoluti domini, &  
 illas concedentes talibus, concedunt pariter vt  
 per alios possint administrari, & sic per eisdem  
 oneribus satisfacere.

*Assertio 3.  
 Commen-  
 das posse in  
 Hispaniã  
 conferri.*

61 Contra quam resolutionem videntur  
 facere quæ adducit Dom. Solorzanus lib. 2. cap. 2.  
 n. 61. & sequentibus. & in Politicã lib. 3. cap. 3. pag.  
 264. stylum huiusmodi reprobando; nam etiã  
 maxime benemeriti sint ii, quibus Commendæ  
 conferuntur; cum tamen hæc merita in Indiis  
 non fuerint acquisita, non debent facile in illis  
 cum præiudicio aliorum præmiari, qui in ipsis  
 & pro ipsis suum sanguinem profuderunt, &  
 præmium aliud nullum præter Commendas istas  
 præstolantur, & quia principatus & regna eisdem  
 modis & artibus conseruari debent, quibus qua-  
 sita sunt: Indiarum autem regna Commenda-  
 rum illecebris adquisita & enutrita sunt, & ita  
 illis sublatis, atque à progenie Conquistorum in  
 alios transmissis, ne pessum eant, & in peius ruant  
 vereri possumus. Quæ omnia erudite exornant,  
 & satis equidem conuenientiam styli antiquioris  
 ostendunt, non tamen obligationem grauem in  
 conscientiã foro conuincunt. Nam quod ad  
 præmia Conquistorum spectat, Cap. præced. dis-  
 cussimus. Pro securitate autem Indiarum aliter  
 res disponi possunt. Et experientiã compertum  
 habetur, in periculis parum subsidij Commenda-  
 striorum conferre præsentiam & vnum strenuum  
 militem multis eorum præualere, vt non inficer  
 aliquos, qui Normis annos referant, animis, manibus-  
 que parentes.

*Que con-  
 tra illam  
 videantur  
 militare.*